

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 3. Magistratus obedientiâ honorandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](#)

*Etigalibus & tributis; denique titulis, sce-  
ptris, purpuris, prout cuiusq; gradus exigit.*

**S. III.***Magistratus obedientiâ honorando.*

**Clem.** *Vt autem intelligamus, quorsum hunc*  
**Alex. lib.** *honorem adeò inculcat D. Paulus, in me-*  
*4. strom.* *moriam renocandum est, quod Clement*  
*S. August.* *in Psal.* *Alexandrinus, alijque scribunt, tempore*  
*118. conc.* *Christi & D. Pauli, ob Iudæ, & Galilæorum*  
*31.* *sectam, quæ diu inter Iudæos viguit, do-*  
*Ioseph.* *cuitque, pro libertate tuenda omne domi-*  
*lib. 18.* *nium Cæsaris & vectigal, etiam morte pro-*  
*Antiq.* *posita, abnuendum esse (de qua non solùm*  
*cap. 1.* *Iosephus, sed etiam Acta Apostolorū me-*  
*Act. 5. 37.* *minerunt,) rumorem quoq; & suspicionem*  
*ipsi quoq; Galilæi & nouarum rerum præ-*  
*cones essent; quasi per Euangeliū politi-*  
*as humanas, regna, & Resp. sacerdetales euer-*  
*terent; quemadmodum Iudæi omnes Iudam*  
*& Galilæos secuti, qui quòd dicerent, po-*  
*pulum Dñi liberum non debere subiici, &*  
*infidelibus Romanis seruire, Romanis de-*  
*facto rebellarunt. Qua de caussa à Tito ex-*  
*cisi sunt. Itaque tunc, cùm Christi Ecclesia*  
*inciperet innotescere, eadem calumnia, in*  
*Christianos, qui origine erant, & habeban-*  
*tur*

tur pro Iudeis, deriuata est. Eam calum-  
niam ut abstergeret Christus, iussit dari Cæ-  
sari, quæ Cæsariorum sunt, & Petro mandauit, ut Matth.  
didrachma solueret; ac ne apud Romanos,  
aliosue magistratus Christiana religio in  
odium vocaretur, Paulus, Apostolique,  
Principibus dandum esse honorem & tribu-  
tum, saepius docuerunt. Qua de cauſa eti-  
am princeps Apostolorum scripsit: *Omnes 1. Petr. 2,*  
*honorate: fraternitatem diligite; Deum timete: 17.*  
*regem honorificate. Servi subditi estote in omni*  
*timore dominis, non tantum bonis, & modestis,*  
*sed etiam dyscolis.* Quoniam igitur & Nero,  
& Diocletianus, & Domitianus alijq; eius-  
dem ingenij principes legitimè creati sunt  
Imperatores, et si tyrannicè imperarint,  
haud tamen tyranni fuerunt, sed veri Impe-  
ratores; eaqué propter potestatem à Deo  
acceperunt. Igitur Christiani omnes illis,  
in conscientia obedire debuerunt; quām  
diu Deo nihil aduersum iusserunt, cui vtiq;  
semper magis obedire oportet, quām hominibus, *Aet. 5. 29.*  
qui subinde potestate accepta abutuntur.  
*Non tribuamus, inquit S. Augustinus, dandi S. August.*  
*regni atque Imperij potestatem, nisi Deo vero, lib. 5. Ci-*  
*qui dat felicitatem in regno celorum solis pijs, uit. c. 21.*  
*regnum verò terrenum & pijs, & impijs, sicut*

L 4 ei plā-

ei placet, cui nihil iniuste placet. Ac postea:  
 Qui dedit Mario, ipse & Cesari; qui Augusto,  
 ipse & Neroni; qui Vespasiano vel patri, vel fi-  
 lio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano  
 crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit;  
 qui Constantino Christiano, ipse apostata Iuliano.  
 Omnibus igitur Principibus honor & obe-  
 dientia tribuenda est, quia hæc est ordinatio  
 & præceptum Dei, illiisque sunt ministri &  
 vicarij illius, qui gladium portant, ut inobe-  
 dientes plectant; immò quia conscientia id  
 dictat, ne coram Deo peccemus, qui refra-  
 starijs minatur damnationem longè aliam,

S. August: quām magistratus ciuilis. Habuerunt, ait  
 in illud idem S. Pater, *Principes sua verba, Occido,*  
 Psal. 118. à *Proscribo, in exilium mitto, sed hac non possunt*  
 verbis *comparari huic: Hic potest corpus & animam*  
 tuis for- *mittere in gehennam, ob id à verbis tuis formi-*  
 midauit *dauit cor meum. Hane subiectionem & obe-*  
 cor meū. *dientiam indicant tributa, quæ subditi pen-*  
 Luc. 2. 1. *dunt magistratibus, ut testentur, se eis esse*  
*subiectos. Quod Ioseph, quod Maria, im-*  
*mò Christus nondum natus fecit. Exiit edi-*  
*Etum à Cesare Augusto, ut describeretur uniuers-*  
*sus orbis. Et ibant omnes, ut profiterentur sin-*  
*guli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph*  
*à Galilea de ciuitate Nazareth, &c. ut*  
*profici-*

profiteretur cum Maria despontata sibi uxore  
prægnante, & Christum in utero ferente; qui  
& ipse voluit profiteri, nobisque ostendere  
modum obediendi magistratibus, qui est  
optimus modus eumdem honorandi.

## §. IV.

*Alij modi, quibus magistratus solent honorari.*

Quamuis & alijs sint, de quibus passim  
historiæ meminerunt. Honorantur autem  
magistratu digni ipsa electione, ipso mu-  
nere & officio, ipsa solennitate, ut corona-  
tione, iniectione pepli, diadematis, reueren-  
tia, obedientia, donis. Et quamuis sæpe  
aliquis ampliore dignus esset officio; tamen  
hoc ipso magis laudatur, si ipse officium ho-  
noret. Epaminondæ, per inuidiam, & con-  
tumelię gratia, sordidus quidam & contem-  
ptibilis magistratus à populo Thebano de-  
legatus est. Eum non aspernatus dixit: *Non solum magistratum ostendere virum, sed  
virum viciſſim ostendere magistratum.* Itaque  
se gessit, ut idem officium deinceps, tamque  
honestum munus, à multis ambiretur, cùm  
id nihil fuerit aliud, quām cura sordes &  
stercora ex angiportis ejiciendi. Inde ergo  
laudatus est tantò impensiūs, quia etiam vi-  
le officium fecit virtute sua diligentiaque.

L 5

pretio-

z. 2012